

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0080

0078

0084

0074

69

major tamen pars peregrinorum labori et sequenti periculo se exposuit. Surreximus enim et refrigerativas umbras dereliquimus et de amoenis virgultis exivimus ad intensissimos solis fervores et sine via clivum alti montis ascendere conati sumus, reptando sursum per rupes et saxa. In illo ascensu multi debilitati et aestu nimio accensi manserunt, nec procedere potuerunt, sed spiritu resumto descenderunt ad umbras. In processu venimus ad locum, in quo aliqui peregrini sedevi-
runt, et mulieres sociae nostrae peregrinae, quae hora quietis ascenderant, nec progreedi poterant nec audebant. Quas dum interrogaveramus, cur non procederent, responderunt, quod non pro toto mundo auderent procedere propter viae periculum. Ibi enim oportebat procedentem ad latus sinistrum ire super oram altissimi saltus, per viam adeo arctam, quod per eam nemo ire poterat, nisi eundo lateraliter, quia transitus ille erat ad latus parietis petrae, ita, quod ab una parte est profundissima vallis, ab alia vero est erectus et altus paries rupis, ad quem transiens se vertere necesse est, ne ex aspectu profunditatis horresceret, et ut ambabus manibus se ad parietem teneret et reperto tenaculo ad pedes respectum haberet, ut videret, ubi pedem post pedem et manum post manum locaret. Si enim semel duntaxat pes positus a loco moveretur vel lubricitaret, non nisi casus et praeccipitatio in vallem sequeretur, quia a tergo vallis est, et ante faciem paries petrae in altum protensa, et sub pedibus via arcta et inaequalis, et nonnumquam per medium scissa ex ruptura petrae, per quas scissuras in profundissimas et tenebrosas voragini est respectus.

Si transiens ad vallem respicit, mox inspecto praecipitio alto contremiscit; si vero parietem, cui adhaeret, inspicit, superpendentes moles pavescit. Animo ergo confortato artam illam viam adgressi sumus eamque non sine timore pertransivimus. Et deinde ad ascensum valde periculosum venimus, sub quo multi milites timentes stabant, qui ascendere trepidabant, quia casus in illo ascensu et lubricitatio pedis parvula mors fuisset; non enim erat aliis ascendendi modus, nisi manibus et pedibus loca quaerere, ubi ea posset figere. Et cum superius venissemus, ad introitum cujusdam speluncae

0089

0069

0129

0029

0179

0579

1079

Ende

Anfang

